



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 61. Comitia Spiræ celebrata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](#)

Sæcul. XVI.
A.C. 1529.

§. LXI.

Comitia Spiræ celebrata.

Cochl. de act. Interea Cæsar, ut malis Germaniam
& Script. agitantibus obsisteret, Spiræ Comi-
Luth. hoc an. tia indicere cogebatur: quo enim mani-
pag. 197. festius obversabatur Religionis pericu-
Sleid. Com. lum, eo magis urgebat hoc remedium
1.6. p. 190. adhibendi necessitas; quippe non modo
Bzov. anno Lutheri secta magis indies in Imperio
1529. n. 47. invalescebat, sed insuper Turcæ, cum
 jamjam Budam suis subjecissent armis,
 in ceteras quoque Cæesaris Provincias
 proximam irruptionem parabant, spe
 freti, se nullo negotio totam Hungari-
 am subacturos. Ergo die decima quin-
 ta Martii anno Domini millesimo quin-
 gentesimo vigesimo nono hisce Comitiis
 initium dabatur. Confluxerat copiosus
 admodum Principum numerus, aderat
 quoque Cæesaris nomine ipse Ferdinandus, qui Præsidis vices agebat. Hunc
 omnes Principes, ac Oratores, quos
 Imperii Ordines eo decernebant, comi-
 tabantur; accesserat quoque Elector Sa-
 xoniæ unacum Melanchtone, imo ipsius
 etiam Pontifex, ne suo deesset officio,
 Joannem Thomasinum Mirandulanum
 Comitem Spiram ablegabat, dato ei-
 dem negotio, ut Principes ad bellum
 contra Turcas suscipiendum hortaretur.

Prima

Prima vero congregatorum cura eo Sæcul. XVI.
 collimabat, ut in hisce Comitiis Reli- A.C 1529.
 gionis negotia discuterentur, hacque
 super re non minus diuturna, quam a-
 cri animorum contentione disceptatum;
 Catholici enim toti in eo erant, ut Sa-
 xoniæ Elector, aliique urbium Imperia-
 lium Principes Lutheri erroribus infecti
 mutuis dissidiis a civitatum Zwinglii
 doctrinæ addictarum Deputatis, aliisque
 Sacramentariis circa Evcharistiæ arti-
 culum scinderentur. Abs dubio etiam
 valuisset successus, nisi Hassiæ Land-
 gravius hanc dissensionem prævertisset,
 atque singulis exposuisset, quod inter
 utramque partem non usque adeo in-
 gens doctrinæ discrimen intercedat, ut
 se se ab invicem separare, necesse foret;
 facile enim inter se conciliari possent,
 cum tamen, si in duas factiones disce-
 derent, Catholici numero augerentur,
 eorumque divisionem in rem suam ver-
 furi essent. Hujus rationibus aquiesce-
 bant omnes, seu verius nondum eo tem-
 pore ingenitum bellum inter Lutheri &
 Zwinglii Sectatores in apertas flamas
 erumpebat. Post hæc Ferdinandus die
 quinta Aprilis separatim aliquot civita-
 tum Imperialium Deputatos evocabat,
 atque illos, eo quod spreto Cæsaris edi-
 cto plurima innovassent, acriter primo
 redarguebat, denique ut ad reliquorum

K k 3

Ordi-

Sæcul. XVI. Ordinum sententiam sese adjungerent,
A.C. 1529. sedulo hortabatur, ne forte, inquietabat,

 hæc comitia animis Germanorum conciliandis instituta, graviori Seditione dissolvantur, atque ob eorum dissidia re penitus infecta finiantur. Ad hoc responderunt Deputati: Nos neutquam Cæsari injuriam intulimus, neque legitiimi Concilii judicium declinavimus; de cetero nil nobis magis in votis est, quam pacem procurare, suæque Majestati Cæsareæ in omnibus satisfacere.

§. LXII.

Missæ Sacrificium ab Argentinensibus abrogatum.

Steid. lib. 6. Porro Ferdinandus potissimum ea ex
pag. 192. caufa querebatur, quod uno circiter Mense ante Comitiorum celebratiōnem Argentinenses die vigesima Februarii decretum condiderint, in quo Missæ Sacrificium tamdiu abrogandum fanxerunt, donec ejusmodi cultum Deo acceptum esse, ab eorum adversariis demonstraretur. Firmabatur hoc edictum in Senatu ex trecentis civibus conflato, cuius jussu denique in omnibus hujus Provinciæ locis eo fine promulgabatur, ut cuncti eorum subditi illud integra fide observarent. Postea Senatus hac de re Episcopum certiorem reddebat, qui

qui-